

Epistola Dedicatoria.

sux stabilitatem desumpsissent. Sed quale nisi TvvM? Verum hoc appetere, infirmioris est naturæ indicium, obtinere, robur est externum, aut fucus illustris. Debiliores hederæ gerulis quibusdam fulcris inniti solent, obscuriores gemmæ subdole teruntur, vt emicent, & auro circumposito radios induunt, cæteris æmulos. Ideò illud pro dignitate censeo æquius, C E L S I S S I M E P R I N C E P S , quod Te suum iudicem incorruptum habeant, cum præter heroicas virtutes innatas, nostris, & posteris indices sœculis, quantum sit discriminis inter Doctos, cultosque Principes, & eos, qui nihil fulgoris habent, nisi ab ortu, & à luce Maiorum. Tantum pondus, illud tanti Principis firma A Q U I L A per spicacitatem insignitum iudicium, habet, vt cum ab ipsa æquitate nullum melius expectetur, nostræ Decisiones per ipsum eò peruenient, vbi ab inuidientium dentibus res magis sinceræ conseruantur, ab eoque tanquam ab intelligentia, quæ coelesti, terrestrique orbi, lumen, motum, & quietem tribuere, ab aliquibus Philosophis creditur, in rationibus clarè deducendis lucem, in ventilandis ag tandisque controuersijs motum, & in illis componendis, & scandidis, quietem accipient. Sed forte vltra proprios meæ humiliatis limites, ad temerarios ausus progrediar, si tantum interpellam iudicium, in materia, quæ exigua videbitur, Minimi calamo telinæata, quamvis quæstionibus in Aristotelicos octo Physicorum, & de Anima libros totum sensibile, ac intelligibile complectatur. Nihil tamen est materiæ ita diffusæ tribuendum exiguitatis; imò quia TvvS animus nullos sibi, nisi cum Superis, communis terminos ponit patitur, non mirum est, si cætera extra Arche typum TIBI videantur exigua, inter quæ etiam mea, nisi TVA essent, quia mea, qui TvvS ego totus. Taceant ergo feralis Carminis noctuæ, quæ Soli, & melioribus Astris maledicere solent, sciántque nomine Tvo, inconcussam S T E L L I F E R A R V P I S Claritatem possidente, meis laboribus præfixo, inuidiam proprijs facibus, ac furiarum ardoribus viduatam. Qui verò sanctioribus flammis aguntur, in veritatis, ac sapientiae indagandâ puritate, illi, C E L S I S S I M E , & E X C E L L E N T I S S I M E P R I N C E P S , illi, Te viam aperiente, æquâ, & serenâ fronte, hæc opera excipient, iudicabunt, approbabunt, & eternitatique consecrabunt, quam TIBI, & illis beatissimam exopto. Datum Pragæ in Conuentu S. Salvatoris, hac luce 28. Septembris, Sancto Bohemia Princi Wenceslaos sacra, Anno 1644.

Tua Celitudo.

Addictissimus Cliens

Fr. Joannes Lalemander Minimus,
Provincialis.